NOVISSIMA CONSVLTATIO:

AN OCCASIONE habendæ Synodi tam Diœcesanæ, quàm Provincialis Archiepiscopus celebrans Missam in Pontificalibus, possit vti Pallio?

CVI RESPONDET

ADRIANVS DE ELOSSV,
Almæ Eccles. Metropolit. Hispalens. Cærem. Magist.

HISPALI,

Apud Ioann. Francisc. de Blas, Typograph. eiusdem Almæ Eccles.

Anno 1705.

ILL.^{MO} AC REV.^{MO} DÑO.
EX.^{MO} ECCLES. PRINCIPI

D. D.

D. EMMANVELI ARIAS,

Hiſpalenſi Archiepiſcopo, Regi Catholico à Conſilijs Status, &c.

Dño. ſuo Clementiſsimo.

PLura donaria, etſi minima, in pretio ſunt, quia Aris, & Numinibus dicata, aiebat Plinius. Hæc vero qualiſcumque Reſponſio, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, maius pretium habet, quia Tua eſt. Tua, inquam, eſt, quia Tuo iuſſu conſcripta: Tua,

Tua, quia Tuo animata imperio : Tua, quia totus Tibi adſtrictus fere ſupra vires audens eam in lucem eniti optaverim ; niſi aborſum appellem , qui breviſsimo tempore coaluerit. Tua denique ; quia Ampliſsimæ Dignitatis Tuæ teſſeram elucidat. Mihi tantum obſequendi gloria relicta eſt. Nam, vt cum Auſonio loquar, ſuo Gratiano grates referente:

Non habeo Ingenium; Præſul ſed iuſsit: habebo.

Vale, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, & ad Eccleſiæ totius, Sanctæque huius Metropolitanæ Sedis, imo & Hiſpaniæ decus, felix diu viue.

Illuſt. ac Rev. Domin. Tuæ

Poſt humillima pedum oſcula,

obſequentiſs. ac devotiſs. Servus

Adrianus de Eloſſu.

CON-

✠

CONSVLTATIO ITA SE HABET.

DVBIVM INFRASCRIPTVM PROponitur, ad cuius resolutionem Praxis Ecclesiarum florentissimorum Regnorum vltra montes, & Sapientissimi Cleri earundem Provinciarum doctrina, & eruditione præstantium sententia exquiritur, nonnullis indicatis rationibus, authoritatibus, & exemplis, quibus tum negativa, tum affirmativa opinio innituntur, vt inde firmior, & magis aperta fiat veritas, & quæ ex opinionibus in praxi amplexanda sit, sapiens iudicium perhiberi valeat.

DVBIVM.

AN occasione habendæ Synodi, tam Diœcesanæ, quam Provincialis, Archiepiscopus celebrans Missam in Pontificalibus possit vti Pallio.

Negativè se habet Gavantus in praxi ad Synodum, part. 1. cap. 13. de habitu Cleri, num. 1. ibi: Si celebret solemniter assumit omnia paramenta Pontificalia, vsque ad Pallium exclusiuè si sit Archiepiscopus. Ad suum assertum fulciendum allegat Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 16. vbi diebus nominatim expressis, quibus cõpetit vsus Pallij non apparet descripta dies Synodi; quæ pariter non exprimitur à gloss. in cap. ad honorem de auct. & vsu Pallij.

Affirmativam amplexantes, asserto Gavanti non fauere dispositionem Cærem. opponunt, cum eodemmet cap. post enunciatas nominatim solemnitates, superaddat: *Et principalibus solemnitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ*, quibus adnumerandam illam Synodi puntant evidenter evinci ex his, quæ disponit idem Cærem. lib. 1. cap. 31. vbi mandat die Epiphaniæ, dum promulgantur intra Missarum solemnia festiuitates principales illius anni, pronunciari quoque diem Synodi; præscribit paritèr, quod die Synodi appropinquante ornetur Ecclesia festivo solemni ritu, provt cap. 4. de Ornatu Ecclesiæ regulas tradidit. Insuper indicẽdo iniungit pulsa-

pulsationem Campanarum vniversarum Ecclesiarum Ciuitatis à meridie præcedentis diei continuandam vsque quo die sequenti Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam, peracta solemni Processione, cui interesse debent Confraternitates Laycorum, Regulares, & Clerus Sæcularis, quæ cuncta evincunt celebritatem solemnitatis, in qua adstat congregatus vniversus Diœcesis Clerus, vel Provinciæ, & qui Archiepiscopū ex ædibus Episcopi ad Ecclesiā processionaliter deducere, ac comitari tenentur, vt in solemnioribus.

Accedit ad Pallij vsum, quod cum inter vetita Archiepiscopo ante Pallij receptionem, numeretur Synodi convocatio, ex eo interdicta argui valeat, quia tali occasione vtendem sit Pallio, à paritate rationis, quòd prohibeatur cōsecrare Ecclesias, & Episcopos, Ordines conferre, Chrisma conficere, &c. cum in huiusmodi actibus adhibēdū sit Pallium. Eoque magis occasione Synodi Provicialis, vbi reduplicativè Dignitas Archiepiscopalis, & potestatis Metropoliticæ auctoritas fulgere debet, quæ insignijs huius Sacri indumenti manifestatur, potestatisque Archiepiscopalis plenitudo per ipsam Pallij traditionem confertur, vti ex formula impositionis in Roman. Pontific. impressa.

Ad roborandam affirmativā adducunt formulam, qua vsa fuit Apostolica Sedes in traditione Pallij tempore Alex. IIJ. in qua eiusdem Pallij vsus in Synodo claris verbis exprimitur.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen, & in honorem Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Dñi. Alex. Papæ trado tibi Pallium sumptum de Beatissimo corpore Petri Apostoli, vt eo vtaris in confectione Sacramentorum, & præcipuè Corporis, & Sanguinis Dñi. & Consecratione Ecclesiarum, & Chrismatis, & Ordinatione Clericorum, *& celebratione Synodorum*, secundum Ecclesiæ tuæ consuetudinem.

Hanc formulam refert Abraham Bzovius in suo Roman. Pontific. cap. 33. tom. 1. magnæ Bibliothecæ, pag. 414. in fine. Postque subdit illico: INNOCENT. IIJ. Archipiscopis Trimonitano, & Betetodicensi, cum Pallia tradidisset, ex eadem formula tradidit, cum ex præscripto adiuncto iurassent.

Recenseri ad hæc poterit gloss. in cap. ad honorē de authoritate, & vsu Pallij ibi: in principalibus festivitatibus Ecclesiæ tuæ: Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 34. q. 2. in fine ibi: & principalibus festivitatibus Ecclesiæ tuæ: Necnon in præcisis terminis gloss. in Canone Pallium distinct. 100. v. Missarum ibi: & in Synodo etiam vti potest, cui adstipulantur Perlingh. in ius Cano. tom. 1.

lib.

lib.1.tit.8.de auctoritate,& vsu Pallij,num. 11.in fine ibi: notat tamen gloss. in citato Canone Pallium, quod in Synodo etiam Archiepiscopus vti potest Pallio:& Fr.Bernardus Sannig. in primo decret.tit.8.cap.2.§.3.circa finem ibi:dicit tamen gloss.quod in Synodo sit permissus:quæ trahuntur ad Missam cum notum sit ex Epistolis Gregorij Magni, extra Missarum solemnia Pallij vsum interdictum.

Canonicis Sanctionibus,Rationi,&D.D.auctoritati intra Italiam cognita exempla adstipulari paritèr ostendunt. Primò S. Caroli Archiep. Mediolanen, qui vt constat ex actis diebus alia ratione non solemnibus Pallio vsus est in suis Synodis Provinc. p.8.pag.1195.col.1.& pag.1212.col.1. iuxta impressionem Mediolanen.in impress.vero Lugdunen. pag. 1253. & 1268. ibi:reversus inMetropolitanā, ipse ad Sedem Pontificalē accedit,& deposito Pluviali,Casulam,& *Pallium* induit, & inde progrediens ad Altare Missam de Spiritu Sancto more Ambrosiano celebravit.Aliud exemplum prostat Eminentissimi Vrsini, quem Pallio indutum in Synodo Beneventana, Missam celebrasse, methodus impressa patefacit,cap.2.§.2.num.10.ibi:deponit Pluviale,& accipit paramenta pro Missa cum Pallio.

Fer. 2. die 13. Octobr. 1565. Fer. 5. die 12. Maij 1582.

Sabb. die 11. Aprilis 1693.

Non desunt & alia exempla aliorum Prælatorum, qui quacumque in die indicta fuerit Synodus Diœcesana,in Missa Pontific. tali die celebranda, vt Mediolanen. Papien. alij in Regno Neapolitano, vt testantur Magistri Cæremoniarum earundem Ecclesiarum.

Ex quibus deducere conantur affirmativam veriorem, necnon rei agendæ solemnitati congruentiorem, congressus Maiestati, affluentio populi omnium ordinum concursui magis accommodatam, ita vt Pallium licitè tali occasione adhiberi non sit ambigendum.

RESPONDETVR.

§. 1. NOvam hanc, & æquè gravem controversiam iussu primarij inter Ecclesiæ Principes viri ad me delatam, sedulà mentis attentione discussi, eo animo, vt in re neque obvia, neque singillatim ab vllo (quem viderim,& si plures consuluerim)pertractata,eam sententiam,quæ Rationi,Iuri, Veritatique propius accederet,confirmarem.

rem. Perlegi, quæ in ipsa Dubij propositione doctè insinuantur; quibus aliqua addere visum est, quò rei totius fundamenta plenius innotescant.

2. Pro parte negante stat certè Bartholomeus Gavantus; cuius authoritati deferunt nullo addito, Episcopus Pax Iordanus, volum. 2. lib. 8. tit. 2. vbi de Synodo Diœcesana, num. 92. Synod. Sipontinæ methodus, ad calcem Synodi eiusdem Metropol. celebratæ ann. 1678. impressa, c. 1. §. 2. num. 16. Sed ex quo Gavantum legimus, mirari non desistimus tantum virum in re adeò invia, & sententiâ vt videtur nova fidentèr pro se allegare Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 16. quasi verbis disertis suam negativam, seu exclusivam ennunciaret, & omnem dubitandi viam præcluderet; cum nihil eiusmodi in Cæremoniali, aut aliquo alio textu exprimatur.

3. In gratiam tamen huius opinionis sic argui potest: Limitatio vsus Pallij, respectu omnium aliorum, & illimitatio respectu Rom. Pontif. denotat authoritatem huius, qui assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis (quæ per Pallium significatur) & subiectionem illorum, qui in partem tantum sollicitudinis sunt vocati; & ideò Rom. Pontif. semper, & vbique in Missarum solemnijs Pallio vtitur. Alij autem, quibus concessum est, nec semper, nec vbique, sed intra Ecclesiam suam, seu Provinciã, & certis tantùm diebus eo vti valent, cap. *ad honorem de authorit. & vsu Pallij*; illis dumtaxàt, qui in cuiuscumque Ecclesiæ privilegijs sunt expressi, cap. *Quia Nos* ad tit. & ideò Pallij vsus strictiòr est, quàm Pontificalium, Pavin. in Baculo Pastorali, seu de visitatione, p. 2. q. 4. fol. 44. Fagnanus in cap. *Quia Nos*, de authorit. & vsu Pallij, n. 8. vnde subintrat Regula de Reservatis, & odiosis, quod id tantùm censeatur Archiepiscopis permissum, quod in iure reperiatur expressum.

4. Vrgetur ex eodem cap. *Quia Nos*, vbi Honorius IIJ. postquã rescripserat Archiepiscopo Lugdunensi, vel (vt alij volunt) Tripolitano, quod in sua Diœcesi non semper Pallio vteretur; sed illis dumtaxat diebus, qui in eius Ecclesiæ privilegijs essent expressi, addit: *Sicque soluta est quarta quæstio, qua quæsiuisti, an tibi sit licitum pro Defunctis cum Pallio celebrare*; quasi diceret: respice quid exprimatur in privilegio; & si ibi Missas Defunctorum legas, nihil aliud quæras; alioqui ne dubites, Te non posse pro Defunctis cum Pallio celebrare. Hoc ipsum sanè posset Nobis Gavantus respondere: Respicite textum Cæremonialis, lib. 1. cap. 16. & si

ibi

ibi non legitur *Celebratio Synodi* (vt certè non exprimitur) quod ampliùs desideratis fundametum exclusiuæ Pallij, quam in praxi Synodi, lib. 1, cap. 13. apposui? Cum præsumptio stet contra Archiepiscopos, qui nisi pro se textum expressum habeant; rectè à me vsu Pallij privantur in Synodi celebratione.

5. Hæc pro Gavanto nervosè ponderata sunt. Sed facilè responderi potest pro affirmativa, quod quidquid sit de iure antiquo, de quo postea, habemus Cæremoniale Episcoporum, quod facit ius ex authoritate Clementis VIIJ. & Innocentij X. felic. record. Cardin. de Luca, tom. 3. sen. lib. 3. part. 1. disc. 31. num. 5. & part. 2. disc. 44. num. 3. & supponit Rota in var. decisionib. In eo igitur loco eodem à Gavanto allegato non legitur facta restrictio adeò præcisis verbis, sicut in citatis iuribus videtur ostendi; quinimò postquam Sacrorum Canonum disciplinam tradit per illa verba: *Pallio vtitur, &c.* adiungit: *Quod si no. reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem quæ &, &c.* & ponit gloss. cap. *ad honorem*, quam etiam communiter sequuntur Theologi, & Canonistæ de hac materia loquentes, sed cum maiori amplitudine; & vlterius addit: *Alijs autem diebus in privilegijs non expressis, vel inter prædictos non comprehensis*; Ecce quomodo non requiritur ad licitum vsum Pallij haberi *expressum*, sed sufficit *comprehendi* inter expressos specialitèr, aut generalitèr. Vndè corruit omnis moles argumenti.

6. Sed replicabis pro Gavanto: Hoc opus, hic labor est; Vndè probabimus comprehendi? Respondetur, quod hoc constabit ex allegandis pro affirmativa. Sed hinc iam constat infirmitas fundamenti quod ex Cærem. lib. 1. cap. 16. desumitur: ex quo textu ad summum negativa solum illativè, & per ambages deduci valet.

7. Secundò argui posset, quòd non congruat functioni Concilij Provincialis vsus Pallij in Archiepiscopo, cum non habeat in eo plenitudinem potestatis, quam denotat Pallium: non enim est supra Concilium, nec habet parem iurisdictionem cum illo; sed subditur legibus ipsius Concilij; ergo incongruum videtur, quòd ibi Pallio vtatur, & se superiorem ostendat, veluti si se haberet respectu Concilij Provincialis, eo modo, quo se habet Rom. Pontif. respectu Concilij generalis?

8. Et confirmatur, proprium esse Romano Pontif. in Synodis Pallio vti, ex his quæ dicit Theodor. Ballsamon in Nomocanone Photij, tit. 8. cap. 1. *Cum non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium*, visum est, vt S. Cyrillo à Cœlestino permittere-

 tur

tur huic Synodo(Ephesinæ) præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius, & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit *Nestorium*, quasi non dignosceretur esse Concilium, authoritate Papæ congregatum, nisi Præses Phrygio vteretur. Phrygium autem esse Pallium, sic dictum quòd Phrygiorum opere Crucibus contexi soleret, docet Baron. ad ann. Christi 336. in Gestis S. Marci Papæ, postquam meminit Phrygij missi S. Cyrillo à Cælestino Pontifice. Refert hoc etiam ad ann. Christi 430. n. 26. & ait: *Tradit Theodorus ad eundem (Cyrillum) ab ipso Cælestino fuisse missum Phrygium; ipsum nempè Pallium, quo significatur plena potestas, eoque Cyrillum esse vsum in Ephesino Concilio, & in Sacris solemnijs more Rom. Pontificis, &c.* Ergo de mente Baronij vti Phrygio in Concilijs, quod ipse Pallium clarissimè vocat, mos est proprius Rom. Pontif. & non aliorum inferiorum, nisi de ipsius privilegio.

9. Sed respondetur ad argumentum. In primis hæc non obstare respectu Concilij Diœcesani. Secundò relictis quæstionibus à præsenti scopo alienis, in quibus nec sunt concordes DD. negari non potest cum communi sententia, quod Archiepiscopus est caput Concilij Provincialis quoad illius indictionem, & convocationem, & illi præest, habetque primam Sedem, & vocem tamquam iudex principalis illius cum iurisdictione non delegata; sed ordinaria: nec convocato Concilio minuitur, aut ligatur in aliquo potestas, & iurisdictio illius respectu Provinciæ suæ; imò plu a potest congregato Concilio, & causa cognita in illo, quæ aliàs non posset. Vnde congruentius videtur, vt in illius celebratione (intra Missarum solemnia) insigne plenitudinis suæ potestatis assumat. Id roboratur ex eo, quòd licet inter Episcopos concurrentes in Concilio attēdatur ordo prioritatis consecrationis ad eorum præcedentiam in sessione, & ordine proferendi vota; (Cærem. Episc. lib. 1. c. 31.) interveniente tamen Episcopo, qui particulari privilegio Pallio vtatur, hic debet alios Coëpiscopos præcedere in sessione, subscriptione, & voto, nō servato ordine consecrationis, vt de Episcopo Eduensi, qui ratione Pallij præcedit omnes Episcopos Provinciæ Lugdunensis, dicit Cassan. in Catal. glor. mundi, part. 4. consid. 24. Grat: Disp. Forens. tom. 2. cap. 298. n. 63. in fine, apud Ventriglia de iurisdictione Archiepiscopi, cap. 36. num. 4. Si ergo ratione Pallij præcedit Episcopus, qui eo vtitur, alios Episcopos eo priuilegio carentes; multo melius dicemus, quod præsidentia, & prima Sedes, quam habet Archiepiscopus in Concilio Provinciali, competit ipsi ratione Pallij,

seu plenitudinis Pontificalis officij in eo designatæ. Et si congruum est, vt qui Pallio vtitur ex priuilegio, alios præcedat; congruentius erit, vt qui alijs Episcopis præest de iure Pallio insignitus coram ipsis appareat.

10. Respōdetur tertiò pressius: Pallium denotare plenitudinē Potestatis per distributionē accommodam (vt dicunt Dialectici) iuxta personas, qui eo insigniūtur: alia est enim plenitudo potestatis in Rom. Pontif. alia in Archiepisc. alia in Episc. priuilegiatis: sicut plenitudo gratiæ alia est in Christo, alia in B. Maria, alia in Stephano, & alijs Sanctis. Archiepisc. ergo in Concilio Prouinciali, & extra habet plenitudinem potestatis Archiepiscopalis, iuxta terminos, quibus hodie circumscripta est; vnde sicut congruè vtitur Pallio in consecratione suffraganei, etsi plenè ei non subsit, nec eum hodie confirmet; imò & in consecratione cuiuslibet alterius Episcopi ab eo exempti: congruentiùs vtetur Pallio in celebratione Synodi Prouincialis, (& idem de Diœcesana) quando exercet plenitudinem potestatis, quam habet, quæcumque ea sit, secundum varia DD. placita. Sed de hoc iterum.

11. Ex his patet iam solutio ad confirmationē; & vlteriùs cōcedimus factum, quod refert Balsam. negamus tamen per *Phrygium* intelligi *Pallium*, ex ipso Balsamone immediatè ante, referente decretū, seu edictum donationis Constantini, vbi clare dicitur ab isto Imperatore S. Syluestro *Phrygium* donatum, & capiti SS. Pontificis impositum: *Nos autem quod S. Syluester noluit ex auro Coronam splendidissimam, Phrygium lorum, quod Sanctam Resurrectionē significat, eius Sancto capiti proprijs manibus imposuimus : : : : decernentes vt omnes eius successores Phrygio vtantur loro in Processionibus, ad imitationem Imperij*: vnde potius de Mitra, seu Tyara intelligēdum est, quemadmodum Nicephorum, seu eius interpretem accepisse tradit ipse Baron. Et inde etiā Innoc. III. in Sermone de B. Syluestro: *Constantinus*, inquit, *secedens Byzantium Coronam capitis sui voluit B. Syluestro conferre; sed ipse pro reuerentia Clericalis Coronæ, vel magis humilitatis causa, noluit illam portare: verumtamèn pro Diademate Regio vtitur Auriphrygio circulari.* Inde fortasse vocabulum Mitræ auriphrygiatæ, Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 17. vt benè notat Nicolaus de Bralion in tract. de Pallio, cap. 3. §. *Addo autem.* Videatur Spondanus in Epitome eiusdem Baron. qui etiam notat, lapsos Græcos cum Phrygium *Lorum* interpretati sunt, quod magis humeris, quàm capiti cōuenire noscitur. Videatur etiam Domini Macro Melitens. verbis *Mitra*, & *Pallium*. Et Iul. Cæs. Bulenger. lib. 1, de vest. Pontif. Episcop. & Sacerd. cap. 7. & 10. vbi

 plu-

plura de Phrygio, & Pallio. Concordat Pater Ludovicus de la Cerda in Adverſ.Sacris,cap.64.num.1.Landmeter de veter.Cleric.& Monach.Victu,& diſciplina,lib. 2. c. 97.& eruditiſsimus Chriſtian. Lupus in Decret. & Can. Synodor. general.tom.1. in Diſſertat.de Sacroſancta Synodo Epheſina,cap.2.*Porrò*,inquit, *Phrygium eſſe Mitram Epiſcopalem opere Phrygio ornatam, aut quoddam eius genus, teſtantur S.Petrus Damiani,& Sugerius S.Dyoniſij Abbas in vita Ludovici Groſsi Francorum Regis.* Videatur etiam idem Lupus in tom.4. in Dictat. S. Gregorij VIJ. can. 8. fol. 399.vbi plura diſertè de Phygio,& Loro.

12. Ex his planè fit, quod Phrygium Imperiale ortum ducat à Conſtantino;Pallium verò(ſiue ex lanà, ſiue ex byſſo conficeretur)à S.Petro,vel ſaltèm à B.Lino.Rupertus,lib.1. de divinis offic.cap.27.Manclerc de Monarchia Eccleſiaſtica, tom.1.part.2 lib.5.cap.3. Gonçalez Tellez in Comment. ad cap. 1.de vſu, & authoritate Pallij,P.Ioann.Streinius in ſum.iuris Canon.p.1.tit. 8.num.2.ſeu à B. Clemente I.ſi credimus Polydor. Virg. de invent.rerũ,lib.4. c.12.quidquid dicat Petrus Marcha in ſua Concordia, lib.6.c.6.pro libert. ſuæ Gallicanæ Eccleſiæ vindicandis, qui tamen nobiſcum contra Baron. agnoſcit *Phrygium* non eſſe *Pallium*.Videatur etiam Guillermus Durand.in Rationali divin. offic.lib.3.cap.17.num.14.Card.Bona in Litturgia,lib.1.cap.24. num.16.Natalis Alexand.hiſtor.Eccleſiaſt.ſæculo 9. & 10.cap.5. art.2.n.4.vbi eruditè Marcham refutat. Conſtat etiam quomodo ex conceſsioneCæleſtin.derivatũ fuerit ad PatriarchasAlexãdrinos priuilegium Phrygij: apud Græcos enim nõ erat in vſu Mitras geſtare.Pallij autẽ vſus,quod apud eos Omophorion, ſeu Superhumerale, & Polyſtaureon à multitudine Cruciũ dicitur,frequẽtiſsimus. Videatur Rituale Græcorũ operaPatris Iacobi Goar illuſtratũ,inNotis ad Ritus ordinat.Epiſcopor.n.8.per totum,vbi de priuilegijs Patriarcharũ Græcorũ ex Balſamone, relato facto S. Cyrilli, qui pro Cæleſtino tertiæ vniverſali Synodo præfuit, *Phrygium* Tyaram interpretatur.Videatur etiãCabaſſutius inNotis Eccleſ.Concil. ad Canon.ſextũ Concilij Conſtantinopolitani primi,vniverſalis ſecũdi. Ex quibus omnibus liquet *Phrygium*,& *Pallium* diſtingui,primò,materia; ſecundò,figura ſeu forma;tertiò,ſitũ,ſiue ex parte corporis,vbi imponitur;quartò, ex vſu, ſiue ex parte eorum, quibus conceditur;quintò,ex functionibus, quibus deſeruit; ſextò, ſignificationibus myſticis. Baronius autem fortaſsè,& cum eo Binnius in vita S. Marci Pap.deceptione paſſus eſt,ex eo quòd Tyaræ,ſeu Mitræ, quibus vtuntur Patriarchæ

Græci,

Græci, in modum diadematis regij quatuor quoque habent Cruces, Goar vbi supra notante.

13. Sed demus *Pallium* idem esse ac *Phrygium*, quid inde? Quomodo poterat S. Cyrillus eo vti, quod non habebat? Aut quomodo poterat eo vti in Ephesi Exarchia, quæ erat diversa ab Alexandrinæ Metropoliticæ Parœcia, seu Diœcesi? Quod autem ait Baron. de more Romani Pontif. appellat suprà immediatè antecedens, vt apparet ex Balsamon. vbi supra: *Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præsenti edicto habet, vt cum Phrygio celebret*; & paulò post: *Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacrificant, & procedunt Patriarchæ Alexandrini*; vbi nihil de celebratione Synodorum: sicut ergo, etsi moris sit Rom. Pontif. celebrare Missarum solemnia cum Phrygio, id est Pallio, non tamen solius: ita etsi moris sit vti in Concilijs; non est tamen id solius Romani Pontificis, vel eius, qui suo nomine præest: quin ex Baron. aut Balsam. aliquid in fauorem negativæ partis deducatur. Sed potius pro afirmativa potest argui sic: Si congruum, imò necessarium fuit in Ephesina generali Synodo Præsidem eius cum Pallio sedere, vt plenitudinem potestatis Pontificiæ habere dignosceretur; ita congruum, imò necessarium aliquo modo erit, Archiepiscopum Concilij Provincialis Præsidem Pallio vti intra Missarum solemnia, quæ ab eo primo die celebrantur, vt de plenitudine potestatis Archiepiscopalis in eo residentis, ex Pallij adeptione, & possessione nemo dubitare posit. Notum est enim dubium, an eo inculpatè amisso, eius potestas ligata, & impedita maneat? Et pro vtraque parte sunt DD. placita. Vid. Ventriglia vbi supra, cap. 16. num. 8. Rod. Acuña 1. p. Decreti, cap. Pallium 10. dict. 100. num. 5. congrunnt etiam functioni significationes mysticæ, vel sola inspecta lanæ materia. Scribit enim Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 136. repræsentari summi, & optimi Pastoris Iesu Christi eximiam charitatem, qua humeris suis impositam Ovem, quæ aberrauerat, reducit ad Caulam. Et Eustachius apud Surium die 3. Aprilis, tom. 2. *Ovis errantis typum super humeros tollit, in Sedem sublimem ascendit, in solio sedet*. Burlenger. vbi supra. Vnde nec subditi poterunt deterreri ex authoritate Concilij: nec Archiepiscopus, vti præcipuus Iudex, lenitatis, ac mansuetudinis in iudicando crimina, aut leges condendo, poterit oblivisci. Facit etiam ad hoc, quod ait S. Bonifacius Apostolus Germaniæ ad Cudbertum: *Maior nobis sollicitudo Ecclesiarum & cura populorum propter Pallia credita, & recepta, quàm cæteris Episcopis, qui proprias tantùm*

procu-

procurant Parochias, incumbit. Quomodo ergo in Provinciali Conventu, vbi præcipuam Provinciæ curam gerit, signaculo huius sollicitudinis sibi traditæ carebit?

14. Pro affirmativà arguitur ex verbis eiusdem Cærem. lib. 1. cap. 16. ibi: *In principalibus Festiuitatibus* (nõ ait *Solemnitatibus*, vt in dissertatione tradita) *Ecclesiæ Metropolitanæ*. Et ex verbis Pontificalis Romani, cap. de Pallio: *In festis præcipuis*, quibus verbis cõprehendi celebrationem Synodi videtur ex his, quæ disponit idem Cærem. lib. 1. cap. 31. circa publicationem diei Synodi, ornatum Ecclesiæ, pulsatione Campanar. solemnitate Processionis, & alia.

15. Sed tamen discussione maximâ hæc indigent: Supra dictis enim verbis: *In principalibus festiuitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ*, nihil aliud significari videtur, quàm Festa Patroni principalis, & Titularis, & ita legimus in concessione Alexandri IJ. directa ad Petrum Archiepiscopum inter alias festiuitates communes omnibus Ecclesijs, *in diebus festis S. Angeli, Natalis S. Gregorii*. Et in cõcessione Vrbani IJ. directa ad Heliam Bracarensem: *Et festiuitatibus S. Nicolai, & Sabini* : : : *in Translatione etiam Dom. Confess. Nicolai*, & infrà videbimus dies alios diversos in concessine Paschalis IJ. pro Toletano, & Alex. IV. pro Hispal. vbi notandum, quod in his formulis nõ legãtur generalia illa verba *in festiuitatibus tuæ Ecclesiæ*. Vnde comprobat D. Emmanuel Gonçal. in Notis ad cap. Ad honor. de authorit. & vsu Pallij, ad illa verba *certis debent vti diebus*, quod isti dies, aut erant communes omnibus Archiepiscopis, aut speciales vnicuique, vt dies S. Titularis propriæ Ecclesiæ, &c.

16. Quibus adiungere libet duplicem formulam, alteram Hispalensi Archiepiscopo, alteram Toletano directam. Nam Paschalis IJ. epist. 4. anno 1101. expeditâ Bernardo Archiepiscopo Toletano, & eius successoribus ita concedit: *Pallio sanè in Missarum solummodo celebrationibus vti debebis, præcipuarum, quæ subscritæ sunt festiuitatum temporibus: tribus videlicèt diebus in Natiuitate Domini, in Epiphania, Hypapante, Cæna Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus in Pascha, in Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus S. Mariæ, Sancti quoque Michaelis, & S. Ioannis Baptistæ, in omnibus natalitijs Apostolorum, & eorum martyrum, quorum pignora in vestra Ecclesia requiescunt: S. quoque Martini, & Ildefonsi Confessorum, & omnium Commemoratione Sanctorum: in Consecrationibus Ecclesiar. Episcopor. & Clericor. in annuo consecrationis tuæ die, natali etiam S. Isidori, & Leandri.* Apud Labbè Cõcil. tom. 10. p. 626. Alexãder verò IV. ann. 1258. paulòpost restitutã Hispalim ex Saracenorũ potestate, & in pristino

tino Metropoliticæ Sedis honore locatam, Raymundo Archiepiscopo, eiusque successoribus inter plura alia benignitatis Apostolicæ argumenta Pallium concedit his verbis: *Vsum quoque Pallij, Pontificalis videlicèt officij plenitudinem, tuæ fraternitati Apostolicæ Sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesiam tuam vtaris, dicbus inferiùs annotatis. Videlicèt in Natiuitate Dñi. in Festiuitate Prothomartyris Stephani, Circumcisione Dñi. Epiphania, Hypapāte, Dominica in Ramis Palmarum, Cæna Domini, Sabbato Sancto, Pascha, Feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecostes, Quatuor Festiuitatibus B. Mariæ: Natali B. Ioannis Baptistæ: Solemnitatibus Omnium Apostolorum: Commemoratione Omnium Sanctorum: Dedicationibus Ecclesiarum: Anniversarij tuæ consecrationis die: Festiuitatibus Beatorum Isidori, Fulgentij, & Leandri: Consecrationib. Episcoporum, & Ordinationibus Clericorum, qui sunt ad Sacros Ordines promovendi: in Festiuitatibus SS. Laurentij, & Clementis: & in Anniversario consecrationis Ecclesiæ tuæ.* Vt ex autographo Bullæ, quæ in Almæ Hispal. Eccl. monumētis continetur, constat.

17. In quibus id non leuitèr prætereundum, nempè dies, in quibus Pallio vti deberent prædicti Archiepiscopi, diuersos assignari: nam Toletano præter Hypapantem (seu occursum Domini, & Simeonis) conceduntur tres dies B. Virginis: Hispalensi verò præter Hypapantem quatùor dies eiusdem B. Virginis: Toletano dies SS. Michaëlis, Martini, & Ildefonsi: Hispalensi præter Sanctos Isidorum, & Leandrum, dies SS. Fulgentij, Laurentij, & Clementis: Toletano tres Paschæ Dominicæ dies: Hispalensi verò tantùm primus, & secundus: denique Toletano inter alia diversa adduntur dies eorum SS. Martyrum, quorum pignora in eius Ecclesia requiescunt; quæ clausula non apponitur Hispalensi. Ex quo apparet priuilegij Pōtificij tenorem esse varium, neque ex vno ad alium valere consequentiam. Præterea observandum mihi videtur, quantæ olim apud Rom. Pontifices SS. Isidori, & Leandri venerationi dies fuerint, cum non Hispalensi tantùm, (quod mirandum non esset) sed Toletano Archiepiscopo, vbi neque Patroni, nec Titulares fuere, ad vsum Pallij designati fuerint; siue id tributum sit ingentibus eorum meritis, quibus Arianam perfidiam ex Hispania depulère; siué quia iam tunc vt Hispaniæ DD. eos Ecclesia suspiciebat; quo vtroque ex capite immortalem sibi gloriam peperisse videbantur.

18. Et augetur difficultas, quia verba harum concess. videntur debere interpretari strictè, iuxta doctrinam Ioannis Baptistæ Bentriglia de iure Archiepiscopi, cap. 14. num. 7. & cap. 16. num.

num.13.quod videtur firmari ex cap.fin.de authorit. & vſu Pallij: Et licet dicatur poſſe hanc materiam admittere benignam interpretationem; numquam tamen extendi poterit vltra proprietatem verborum. Quis autem dicat, celebrationem Synodi poſſe vocari *Feſtiuitatem principalem Eccleſiæ Metropolitanæ*? Poterit quidem dici dies ſolemnis, ſeu inter ſolemnitates præcipuas anni adnumeratas ex his, quæ ex Cærem.lib.1.cap.31. adferuntur; non autem feſtivitas principalis, quod opus erat, vt diceretur comprehendi in Cæremoniali implicitè, etſi non expreſsè.

19. His tamen nō obſtantibus ſubſiſtere videtur ratio pro affirmativa propoſsita; nā admiſsis allegatis formulis Alexādri IJ. & alior.Pont.nō conſtat, quod illi dies particulares expreſsi eſſent ex feſtiuitatibus principalibus Titularis, aut Patroni earū Eccleſiarum, quarū Præſulibus dirigebantur Pallia: fortaſsè erant dies ſpecialis devotionis Pontificum concedentiū, aut Archiepiſcoporum enixè petentium. Præterea legimus apud Durandum vbi ſupra n.13. inter dies, quibus omnibus Archiepiſc. vti licet Pallio, feſtum S.Michaelis, & S.Martini, & alior. quæ tamen non leguntur in Cærem.Epiſcopor. nec in Pontificali, & vlterius addit: *In principalibus Feſtiuitatibus Eccleſiæ Pallio decoratæ*; vnde cōſtat, quod non bene arguitur ex eo, quod in præfatis formulis legantur dies S.Angeli, S.Gregorij, S.Mart.& SS.Iſidori, Leandri, Ildefonſi, & cæteror. omiſsis verbis *principalibus Feſtiuitatibus*, vnum pro alio ponatur, ſeu quod ibi dicatur expreſsè, quod in alijs formulis dicitur confuſè, ſeu *principales Feſtiuitates*, tantùm comprehendant feſtivitatis Titularis, & Patroni.

20. Sed quidquid ſit de hoc, innegabilis videtur formula, qua vſus eſt poſt Alex.IJ.& Vrb.IJ. Alexander IIJ. quam præter Bzorium vbi ſupra in Conſultatione allegatū referūt etiam Baronius, (ecce an pro negativa, an potius pro affirmativa ſtet ipſe) & Spondanus ad ann.Chriſti 1179.& Landmeter, vbi ſup. in qua expreſsè legitur dies celebrationis Synodi. Poſt Alex. IIJ. rexit Eccleſiam Innocent.IIJ. ex cuius Geſtis editis à Boſqueto, refert Gonçalez Tellez in Notis ad cap.ad honorē, de authoritate, & vſu Pallij, formam dandi Pallium, quæ nō exprimit tot dies quot exprimit ibi Gloſſa: nec Gloſſa tot exprimit, quot nunc Cærem. Epiſcopor. nec Cærem. quot exprimit Pontificale. Vnde patet, quòd vſus Pallij privilegium augmentum acceperit, non decrementum, vt conſideranti formulas clarum fiet: patet etiam, quomodo in formula Innocentij IIJ. quæ addit; *in principalibus Feſtiuitatibus*,

quæ,

quæ verba non leguntur in formulis Alexandri IJ. & Vrbani IJ. nec in concess. Paschalis IJ. & Alex. IV. posit valdè congruentèr cõprehendi dies celebritatis Synodi, quam prædecessor suus Alexander IIJ. expresit.

21. Ad id autem, quod additur, quod hoc privilegium debet strictè interpretari, etsi ita sentiat Bentriglia, attamen Viuianus in Rationali iuris Pontificij ad cap. 1. *cum super* hoc eodem titulo contrarium docet, asserens cum Butrio super eundem textũ, num. 9. concesionem Pallij esse favorabilem, & latè interpretandam, dum nulli fit præiudicium. Sicut ergo ex hac regula, etsi in concesione tantùm dicatur: *Tradimus tibi Pallium, vt vtaris eo infra Ecclesiam tuam*, extenditur ad Ecclesias totius Provinciæ, cum dicitur: *In principalibus Festiuitatibus Ecclesiæ tuæ*, non ita intelligenda sunt, vt tantum sonent festiuitates Titularis, aut Patroni principalis loci, seu Diœcesis; sed etiam benignè extendendum est ad festiuitates principales Metropolis, & Provinciæ, vt Provincia est, hoc est celebrationem Synodi Diœcesanæ, & Provincialis. Et quidem si ita vniversim Gavanto assentiri deberemus, propterea, quod in Cærem. Episcopor. lib. 1. cap. 16. Synodi dies omissa sit; dicendum quoque esset, diem (apud nos solemnissimum) Conceptionis B. Virginis Mariæ excludendum fore ab vsu Pallij: cum tamen hæc festiuitas in Pontificali Romano sit expressa, cuius regulæ non minus præceptivæ sunt, quam Cæremonialis: & Pontificale, quod iussu Clem. VIIJ. editum, & Vrb. VIIJ. authoritate recognitum, & ab ipso Cæremoniali eodem cap. iubetur observari formula in Pontificali adscripta, pro imponendo Pallio Patriarchæ, aut Archiepiscopo.

22. Hoc validè confirmatur ex Castaldo in prax. Cærem. lib. 1. sect. 10. cap. 10. vbi vltrà quatuor festivitates B. Virg. Mariæ expressas in Cærem. (in antiquis formulis erant tres tantum) addit: *Etsi qua alia eiusdem Virginis Festiuitas in aliquo loco solemnitèr celebretur, putà Conceptionis, Præsentationis, Visitationis*; quam sententiam libentèr amplectimur quoad nostram Hispalensem Ecclesiam, in qua inter solemniores, solemnissimus est dies Conceptionis, & pro eo die vtpotè præcipuo in Ecclesia, & Diœcesi Hispalensi, aut tamquam in Pontificali Romano asignato, licèt in Cærem. non expresso, Illustris. ac Reverendis. Dñi. Archiepiscopi consueverunt semper cum Pallio celebrare. Si ergo licet Castaldo vltrà festiuitates expressas, aliàs à paritate rationis addere; cur non potius celebrationem Synodi comprehensam in generalibus verbis concesionis admittemus?

23. Ad Scrupulum iniectum, an dies Synodi posſit dici *Feſtiuitas principalis Eccleſiæ Metropolitanæ*. In primis dicere poſſumus, quod ſecundum Guillerm. Durand. in Rat. loco citato, num. 13. feſtiuitas principalis videtùr quoad præſens accipi pro eodem, ac diès ſolēnis, ibi: *Regularitèr vſus Pallij interdicitur, niſi in ſolemnibus diebus, & qui in cuiuſcumque Eccleſiæ priuilegijs continentur*. Si igitur poteſt dici *dies Solemnis*, etiam feſtiuitas principalis quoad intentum. Deinde feſtiuitas principalis quoad præſens non debet ſumi pro officio, quod eſt de feſto, cuius oppoſitum eſt officium de tempore, prout ſumunt qui de Rubricis Breviarij agunt; non enim hoc attenditur ad vſum Pallij, prout patet in die Ordinationis Clericorum, Conſecrationis Epiſcoporum, Anniverſarij Conſecrationis Archiepiſcopi, &c. in quibus non ſemper congruit officium cum ſolemnitate Miſſæ: cum enim Pallij vſus ſit intra Miſſarum ſolemnia, ratio feſtiuitatis attendi debet quoad functionem, in qua Miſſa celebratur; non quoad officium, quod præcedit. Sumitur autem pro concurſu populi, apparatu ſumptuoſiori Altaris, Chori, & Cæremoniarum in quibuſdam feſtis præ alijs adhiberi ſolito, & inde dicitur feſtiuitas ſolemnis, aut ſolemnior; ita Guyetus Heortologià, lib. 1. cap. 13. quæſt. 3. Caſtaldus in prax. Cærem. lib. 2. ſect. 5. cap. 1. nec refragatur Gavantus ipſe, qui in Commet. ad Rubr. Brev. ſect. 2. c. 2. explicās, quid ſignificent verba: *Feſta Sanctorum, quæ conſueverunt celebrari ſolemnitèr, vel ſolemnius*, ait num. 29. quid eſt *Solemnitèr*? Reſpectu Cleri Sæcularis ſignificat feſtiuitatem, aut populi, aut Cleri, cum pompa exteriori, puta proceſsione, apparatu, concurſu, & huiuſmodi: & ita declarauit Sac. Rit. Congregatio die 28. Auguſti 1628. Poteſt ergo eſſe feſtiuitas loci principalis, & Eccleſiæ, etſi non fiat de ea officium, vt non ſemèl evenit, in Feſto Patrocinij B. Virg. Mariæ in noſtra Hiſpania. Iunge ergo ſolemnitatem, & apparatum in Cærem. expreſſum pro celebratione Synodi, & videbis, an dici queat, connumerari inter præcipuas feſtiuitates Metropolitanæ Eccleſiæ. Quæ cum ita ſe habeant, & Eccleſia largior ſit noſtris, quàm priſcis temporibus in conceſsione Pallij, & eius vſu, neſciò qua rationè negetur celebratione Synodi: cum ſemèl viderimus in formula Alex. III. expreſſam conceſsionem pro eo, & abſque vlla violentia contentam eſſe ſub generalibus verbis aliarum, & Cæremonialis affirmare poſsimus.

24. Accedit, & alia ratio ad Pallij vſum ex cap. quod ſicut 28. §. præterea de elect, & electi poteſt. vbi inter vetitá Archie-

piſco-

piſcopo ante Pallij receptionem numeratur Synodi convocatio: ex quo arguitur à paritate rationis collationis ordinum, confectionis Chriſmatis, Dedicationis Eccleſiarum, &c. ſed indiget iſta argumentatio non minori diſcuſsione: vt enim ait Pater Layman in lib. 1. Decret. tit. 8. cap. 1. quæſito 2. non dicitur ibi (cit. cap. quod ſicut de electione) quod Archiepiſcopus, quæ eo loco enumerat, exercere non poſſet ſine Pallio; Alioquin nec Concilium convocare poſſet, niſi Pallio indutus, quod conſtat eſſe falſum; ſed quod ea exercere priùs non poſsit, quàm Pallium acceperit, ſed neque Archiepiſcopus appellari poſsit: falſa ergo eſt iſta ratiocinatio: eodem modo, & ſub eadem clauſula interdicitur celebratio Synodi, ac conſecratio Epiſcopi; ſed nequit conſecrare Epiſcopū ſine Pallio, ergo nequit celebrare Synodū ſine Pallio. Sicut & iſta: nequit conſecrare Epiſcopum ſine vſu Pallij: ergo nequit convocare Synodum ſine vſu Pallij, vel è contra. Non ergo iſta inter ſe cohærent, nec benè ex vno ad aliud arguitur, præcipuè cum vnum ſpectet ad poteſtatem iuriſdictionis, ſcilicèt, celebratio Concilij; aliud verò, ſcilicèt, Conſecratio Epiſcopi ad poteſtatem Ordinis, & idem de alijs rebus interdictis. Vnde ſtat optimè, quod ea, quæ ſunt ordinis, nequeant exerceri ſine vſu Pallij, & quod id, quod eſt iuriſdictionis nequeat exerceri ante adeptionem Pallij; benè tamen ſine eius vſu, cum vſus iuriſdictionis nullam connexionem habeat cum Miſſa ſolemni, pro qua, & intra quam tantum conceditur vſus Pallij.

25. Accedit, quòd Archiepiſcopus poteſt exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis tantùm poſt confirmationem ante Pallij adeptionem. Fagnanus ad cap. *quando* de conſuetudine, num. 37. Gonçalez ad cap. ſuffraganei de Eccleſiaſt. Dignitate; & alij; & ad ſummum ei interdicitur congregare Synodum Provincialem, nō autem Diœceſanam; nam in cap. citat. dicitur, *cum non liceat Archiepiſcopo ſine Pallio convocare Concilium.* Vnde cum hæc exceptio ſit odioſa, non debet extendi ad Synodum Diœceſanam, quæ propriè non poteſt dici Concilium, vt ex Bellarm. docet Ventriglia citatus cap. 10. num. 10. & Manclerc. vbi ſupra.

26. Sed nihilominus ſuſtinenda eſt prædicta ratio pro affirmativà: pro cuius maiori claritate ſupponendum eſt, quod etſi Archiepiſcopus poſt Confirmationem, & Conſecrationem habeat poteſtatem iuriſdictionis, & Ordinis in aptitudine, ſeu in actu, vt dicunt, remoto; non tamen in actu proximo, & expedito: quia licèt per Pallium nihil in rigore addatur, tollitur tamen

 impe-

impedimentum,& executio officij committitur,& in eo est plenitudo potestatis, cap. *significasti*, de electione, cap. *nisi*, de authorit. & vsu Pallij: Non autē interdicūtur ei omnia, quæ sunt iurisdictionis,(& in hoc sensu intelligēdi sunt; qui absolutè docent posse exercere ea, quæ sunt iurisdictionis) neq omnia, quæ sunt ordinis; sed maiora, quæ quidem sunt expressa in iure, c. quod sicut, §. prætereà, de electione. Et ideò optimâ methaphorâ dicitur in Pallio significari, non Ecclesiasticam potestatem, sed plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, cap. Ad honorem de authorit. & vsu Pallij. Sicut ergo vas dicitur non plenum, non quia totum sit omninò vacuum, sed quia deficit aliquid in summitate, quâ vacuitatē sublatâ, dari plenitudinem consequitur; ita proportionalitèr per Pallium datur plenitudo potestatis, quia datur aptitudo proxima ad executionem, seu tollitur impedimentum ad exequendas eas functiones; quæ pertinent ad summitatem potestatis, tàm iurisdictionis, quam ordinis. Potestas autem cōgregandi Synodum est summitas iurisdictionis; quod vel ex eo dignoscitur, quod ad investigandum, an Prælatus aliquis exēptus plenâ quasi Episcopali iurisdictione fungatur, ex communi sententiâ attenditur, an habeat ius congregandi Synodum, vel non? Similitèr alia, quæ interdicuntur, vt conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, pertinent ad summitatem Ordinis; cum non quilibet Presbyter, sed tantùm Episcopus, qui in apice, culmine, & fastigio dignitatis Sacerdotalis collocatur, ea possit peragere. Rectè ergo per Pallij traditionem plenitudo officij designatur.

27. Hinc iam dignoscitur, quod non solum non potest cogere Synodum Provincialem, verùm nec Diœcesanam; & ne offendamus in verbo Concilium quod legitur in cap. quod sicut, audiamus Paschalem non II. (vt communitèr dicitur) sed I. in epist. directa Archiapiscopo Panormitano (non Poloniensi, aut Coloniensi, aut Toletano, vt benè probat D. Rochus Pyrrhus in Sicilia Sacra Not. 1. Ecclesiæ Panormitanæ, fol. 76. quem sequitur D. Gonçalez ad cap. significasti, quod ex ea epistola desumptum est) eam ex Vaticano Codice refert Barōn. ad ann. 1102. *In Pallio, Frater, plenitudo conceditur officij, quia iuxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante susceptum Pallium Metropolitanis minimè licet aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare.* Refert hanc Decretalem Gonçalez Tellez in cap. nisi specialis 3. de authorit. & vsu Pallij: Marcha vbi supra, cap. 7. num. 9. & ratio suadet; quia

non

non minus hic actus, quàm ille pertinet ad summitatem iurisdictionis. Ast non loquitur in singulari, sed in plurali, dum de reservatione eorum, quæ iurisdictionis agunt, Viuianus cap.nisi 3.de authorit.& vsu Palli,ibi:*Salvo,quod est in maioribus,vt & convocare Concilium.* Abbas in eodem cap.*exceptis maioribus*. Host.in cap.suffraganei de elect.*exceptis casibus in iure expressis*. Ita refert idem Ventriglia vbi supra, nobis contrarius:non autem possunt nominari alij actus in plurali,quam congregatio Synodi Provincialis, & Diœcesanæ. Nec mirari debemus interdici Archiepiscopo, quæ aliàs quilibet Episcopus potest facere in sua Diœcesi sine Pallio;cum ipsi interdicatur confectio Chrismatis, & Ordinatio Clericorum, quas quilibet Episcopus, post Confirmationem, & Consecrationem facere potest sine Pallio. Hoc supposito.

28. Fateri debemus non esse ita inter se connexà interdictam esse aliquam functionem ante Pallij adeptionem, & non posse exerceri sine vsu Pallij:stat enim optimè, exercitium functionis aliàs interdictæ,sine vsu Pallij,vt in convocatione Synodi opposita in argumento,& in collatione Ordinum minorum, quos non posse conferre ante receptionem Pallij docet Fagnan.in cap.quãto de consuetud.num.36.& infertur ex cap.quod sicut de elect.& stat vsus Pallij in functione non specialitèr in iure interdicta,vt in celebratione Missæ solemnis in Natali Domini. v. g. quæ non interdicitur in cap.quod sicut de elect.citat.nec alibi.

29. Sed considerandum quoque est,non dari casum,in quo in functionibus specialitèr interdictis Missa solemnis celebretur per Archiepiscopum,& Pallio non vtatur,etiamsi Missa solemnis nõ sit de essentia talis functionis, aut posit per alium non Eiscopum celebrari. Explicatur hoc: potest quidem Archiepiscopus Ordines minores conferre sine vsu Pallij, quia extra Missarum solemnia,iuxta Rubricas Pontif. Rom. conferre valet; attamen numquam datur casus,quod Missam solemnitèr celebret pro collatione Ordinum,& Pallio non vtatur; ex quo optime arguitur, quod etsi posit convocare Synodum sine vsu Pallij, quia extra Missarum solemnia id fiat;non benè infertur, quòd celebret in congregatione Synodi,iuxta Cæremonialis præscriptum,& Pallio non vtatur.

30. Nec valet dicere, quòd pro collatione Ordinum Sacrorum debet celebrari Missa solemnis, seu cum ornamentis Pontificalibus, ita vt licèt non sit de essentia Ordinum, sit tamen de

pre-

præcepto, quòd intra eam conferantur; nec poſsit Miſſa per vnum celebrari, & Ordines per alium conferri, cap. quod ſicut, de elect. & ibi Gloſſa notabilis; attamen Synodus abſolutè poteſt ſi ne Miſſa ſolemni celebrari, Pax Iordan. vbi ſupra, ſaltèm po teſt per alium celebrari, ſiue ſit aliquis Epiſcopus ex ſuffraganeis in Concilio Provinciali; ſiue aliquis ex Dignitatibus, aut Canonicis Cathedralis, ſeu Metropolitanæ in Diœceſana.

31. Non valet, inquã, quia conſecratio Eccleſiæ perficitur ante Miſſam, quãdo Archiepiſcopus Pluviali indutus Pallio vti nõ poteſt; ita vt licèt dicenda ſit Miſſa ſolemnis, ſeu cum Miniſtris, & non priuata, poſsit ea per quemcumque Presbyterum celebrari: nec tenetur Archiepiſcopus alitèr, quàm per ſe, vel per alium celebrare, vt ex Pontif. de Eccleſ. Dedicat. ſeu conſecrat. in fine liquet: & tamen ſi per ſe celebret, Pallio vtitur: ergo licèt Rubrica Cæremonialis non præcipiat abſolutè Miſſam ſolemnem in celebratione Synodi ab Archiepiſcopo celebrandam, ſed eo impedito ab antiquiori ex ſuffraganeis, &c. attamen ſi per ſe ſolemnitèr celebret, Pallio vti poterit.

32. Et ſanè optima iuris æquitate; nam vt ex vulgari iuris Regula conſtat, *qui ſentit onus, ſentire debet & commodum, &c.* Si ergo Archiepiſcopus nequit Synodum congregare ante acceptionem Pallij; æquum eſt, vt ab eius vſus prærogatiua in hac functione non excludatur: aliàs peioris eſſet conditionis, quàm Epiſcopi, qui poſt Confirmationem, & Conſecrationem ſuæ Dignitatis munia liberè præſtant: ſi ergo in rebus alijs interdictis compenſatur reſervatio cum honore ſpeciali Pallij; cur non in celebratione Synodi?

33. Idem corroboratur hac conſideratione: Epiſcopi ſuffraganei tempore celebritatis Synodi Provincialis poſſunt vti Mozzetta, & Rocchetto diſcooperto in ſignum iuriſdictionis, quam exercerent, Cærem. Epiſcopor. lib. 1. cap. 3. Caſtald. in prax. lib, 1. ſect. 10. cap. 10. num. 23. Ventriglia, cap. 36. num. 1. in cuius ſignum ea vtuntur etiam Emminentiſs. Dñi. Card. Sede Apoſtolica vacante, ſi ergo vltra hoc cum Pontificalitèr celebrant, vt moris eſt apud noſtrates celebrare durante Concilio (vt in Araldo in ſua Limà limatà videre licet) in nullo differunt ab Archiepiſcopo: in quo differet Præſes Concilij ab alijs? Seu quæ erit prærogativa, per quam illius præeminentia dignoſcatur? Certè ſi Archiepiſcopus Compoſtellanus, cui reſcripſit Innocent. III. in cap. ex tuarum, de authorit. & vſu Pallij verecundabatur extra Provinciam

ſine Pallio celebrare, quanto magis verecundari poſſet Archiepiſcopus Concilij Præſes, ſi intra Provinciam coram Epiſcopis ſuis ſuffraganeis Pallio vti non poſſet? Nec ſufficit dicere, potiri prærogativa Crucis, quam ante ſe per totam Provinciam deferri facere valet. Et etiam quia Cæremoniale diſponit pro ſeſſionibus, quod Epiſcopi ſuffraganei vtātur auriphrygiatis vniformibus; Archiepiſcopus verò Concilij Præſes Mitra pretioſa. Non, inquam, ſatisfacit: primò quia non Crux, ſed Pallium eſt Pontificale proprium Archiepiſcopi, Fagnanus in cap. quia Nos, de authorit. & vſu Pallij, num. 2. cum alijs, quos citat: & vt ait Alcuinus, lib. 1. de divin. offic. citatus à Bullengero vbi ſupra, & alijs: *Pallium nihil aliud eſt quàm diſcretio inter Archiepiſcopum, & ſuffraganeos.* Secundò id ipſum, quod de Mitris, & Sedibus diſponit Cærem. facit pro Nobis; quia ſi non congruit Præſidem, & ſuffraganeos æquales eſſe, dum ſedent parati Amictu, Albà, Cingulo, Stola, Pluviali, & Mitra; inconveniens quoque eſt, vt in nullo differant, quando ſolemnitèr celebrant. Tertiò nam Crux non eſt inſigne plenitudinis officij, ſicut Pallium, etſi ea ad receptionem Pallij elevetur pro Benedictione ſolemnitèr impertienda: & ſit inſigne ſapiens ſuperioritatem, Card. Zabar. relat. à Quarant. verbo *Archiepiſcopi authoritas* 28. vel ſignificet quandam præeminentiam eius, qui ante ſe illam facit deferre, ſeu præcipuam illius dignitatem demōſtret, vt ex Abbat. Card. Zabar. & Fivizan. docet idem Quarant. ibidem: ſanè S. Stephano Hungariæ Regi conceſſum fuit privilegium deferendæ Crucis, & eo gaudent quatuòr Patriarchæ maiores vbique, præterquam in Vrbe, & vbi Summus Pontifex, aut Legati eius adſunt, cap. antiqua 23. de priuileg. & tamen nòn habent iuriſdictionem vbique, nec extra ſuòs Patriarchatus. Deinde ea vtitur Archiepiſcopus per totam Provinciam extra Synodum: quæ ergò prærogativa erit ea in Synodo non carere?

34. Hoc idem ſuo modo extenditur ad Diœceſanam Synodum; nam præterquam quòd apparatus, & ſolemnitas ſub eodem modo, & forma diſponuntur in Cærem. lib. 1. cap. 31. quæ Archiepiſcopus in ſua Diœceſi peragit communia cum alijs Epiſcopis, *non tamquam ſimplex Epiſcopus, ſed vt Archiepiſcopus facere videtur*, cap. quod ſicut de elect. in fine: & rationem ibi reddit Gloſſ. *quia nullius alterius Diœceſis eſt Epiſcopus.* Vndè congruit, eum ſemper in Metropolitana in ſua Synodo ſigno plenitudinis Archiepiſcopalis officij decorari.

Se cun-

35. Secunda consideratio: Episcopo titulari, & nullas oves habenti conceditur vsus Baculi in collationibus Ordinum, Barbos. in coll. Bull. verb. Episcopus suffrag. & Episcapo Hostiensi conceditur vsus Pallij à tempore S.Marci Papæ, quia consecrat Romanum Pontificem: quasi non deceret, Episcopum quemcumque exercere supremum actum Episcopalis potestatis, qualis est, non tantùm Eucharistiam conficere, sed eos, qui conficere possint creare, absque insigni præcipuo Episcopalis authoritatis; & Episcopum Hostiensem consecrare eum, qui plenitudinem potestatis Pontificiæ habet, absque insigni talis plenitudinis. Et isti quidem nullam iurisdictionem propriam exercent; sed alienam, & sibi delegatam pro ea functione: quomodo ergo non erit incógruum, Archiepiscopum actum summum propriæ Dignitatis suæ absque insigni plenitudinis propriæ potestatis exercere?

36. Et ita Glossa in terminis in cap. Pallium dist. 100. verb. Missarum, tamquam de duobus colligatis ita loquitur: *Et in Synodo etiam vti potest; sed non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallij vt extra de elect. cap. significasti*, Glossam hanc secuti sunt Pirling, & Sanning citati à Proponente: eamdem quoquo sententiam expresse sequitur noster Hispan. Gonçal. Tellez in Comment. ad cap. 1. de authorit. & vsu Pallij, num. 15. vbi respondens ad textum in can. 27. Synod. 8. Constantinopol. sic ait: *Cui dificultati respondendum est, illa verba*: Ecclesiastici ministerij, *accipienda non esse de Processionibus, & alijs actibus, qui extra Ecclesiam celerantur; sed de illis, qui intra Ecclesiam peraguntur, videlicet, de Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus Sacerdotum, Synodum congregationibus, & alijs in quibus Archiepisc. po licet vti Pallio.* Eamdem sententiam expresse tenet Theodor. Hoepingius erudito opere de Insignium prisco, & novo iure, cap. 2. §. 4. sect. 2. Membro 4. vbi de Patriarchalibus insignibus, num. 380. cuius hæc sunt verba: *Vsum huius Pallij quod attinet constat, intra eius, qui ilo insignitus Ecclesiam in Missarum solemnitate, certis tantum diebus, & in Synodo, cumque Episcopum consecrare contigerit: non autem processionaliter esse debere.* Amplectitur etiam Fresnè in Glossario verb. *Pallium*, vbi post enumeratas festiuitates communes, addit: *Eius etiam vsus erat in Synodis*; allegatque Historiam Archiepisc. Bremens. ad ann. 1129. Favent insuper quotquot sustinent, Metropolitanum, qui post convocatum Concilium Provinciale novit se ad aliam Ecclesiam translatum, non posse continuare, seu prosequi celebrationem Concilij, *quia per translationem cessat vsus Pallij primæ Ecclesiæ;*

clesiæ; quàm quæstionem in America excitatam esse docet D. Ioann. à Solorçano de Indiar. gubernat. tom. 2. lib. 3. cap. 7. n. 45. & ipse rationi propositæ adhærere videtur.

37. Hinc iam, ni fallor, clarior, & valdè probabilis reddita est pars affirmativa: & nemo Nobis opponat, quod in Dubio tutior pars est eligenda, nam, præterquam quod in Dubio interpretatio est facienda cōtra Cærem. quod potuit exprimere, & dubietatem omnem tollere, præsertim, lib. 1. cap. 31. & non fecit iuxta regulam iuris 57. non minoris periculi est Pallio non vti, quando potest, quàm eo vti, quando non potest. Quod probatur ex can. 6. Concil. Matiscon. 1. vbi dicitur: *Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat*; quem Canonem receptum esse ab Ecclesia Rom. testatur Ant. Aug. in Epitom. lib. 3. tit. 4. cap. 10. ex quo infert Marcha, duo tantùm tunc temporis fuisse Pallia, vnum Romanum, Gallicanum aliud; sed hoc (inquit Card. Bona) accuratius examinandum foret, & ipse meritò non approbat; imò hæc, & alia, quæ vir alioquin doctus loco citat. cap. 6. & 7. dicit, refellit. Melius ergo cum communi ea verba intelligit noster Gonçalez de Missis solemnibus, quæ in Ecclesijs propriæ Provinciæ Archiepiscopus celebrat, & in illis diebus in quibus iuxta formam concessionis, & consuetudinem suæ Ecclesiæ eo vti valet.

38. Et quidem si de hoc constaret, aut antiqui priuilegij tenor extaret, nō remaneret Dubium; sed vbinam priuilegia? Quod attinet ad Ecclesiæ nostræ Hispalensis consuetudinem, in qua Archiepiscopi ab antiquis temporibus (quando paucissimi Pallij prærrogativa potiebantur) ea gaudent; nemo in veteri Historia versatus ignorat, quòd in Gallia soli Arelatensi, in Hispania soli Hispalensi, in Dalmatia soli Salonitano, &c. concedebatur; vt inquit sapiētiss. Card. Bona, lib. 1. Liturg. c. 24. n. 16. Et ex monumētis in Archivo huiusce Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis asservatis reperitur perantiqua Synodi celebrandæ formula, & in ea clarè exprimitur vsus Pallij. Et iuxta eandem formulam Eminentiss. ac Reverendiss. Archiepiscopus Card. D. Ferdinandus Niño de Guevara in Hispalensi Synodo, quam anno 1604. convocavit, Missam Pontificalem celebravit cum Pallio, vt ex eadem Synodo Hispana, fol. 3. constat, cuius verba hæc sunt: *Acabada la Missa, se quitò el Cardenal el Palio, Casulla, Tunica, y Tunicela, y tomò Pluvial, &c.* id est: *Finita Missa, Cardinalis deposuit Pallium, Casullam, Tunicam, & Tunicellam, & assumpto Pluviali, &c.*

39. Favent etiam nostræ sententiæ exempla S. Caroli Mediolanen. Archiepiscopi, cuius Acta, seu Provincialia, seu Diœcesana, exactioris Ecclesiasticæ disciplinæ Prælatis omnibus lucem præbent. Sed & novissimum exemplar Eminẽtiss. Card. Vrsini in Beneventana Synodo ann. 1693. celebrata destruit aliud Synodi Sypontinæ supra memoratæ ab eodem Eminentiss. celebratæ. Haberemus autem plura huiusce rei exempla, si in Synodis hucusqne editis rerum ritualium relatio exprimeretur singillatim. Quas omisere Authores, maiora circa morum reformationem, & Canonum Sacrorum observantiam diligentiùs attendentes. Vnde manet sola authoritas Gavanti, quem, etsi aliàs accuratum, in multis lapsum docet Guyetus in sua Heortolog. varijs in locis.

40. Hæc quæ pro tenuitate eruditionis meæ congerere potui, brevi tempore, in nova hac, neque ab aliquo (quem viderim) ex professo discussa controversia, cuius postrema resolutio sit, Archiepiscopum vti posse, & debere Pallio in Missarum solemnijs pro Synodi celebratione. In cuius Tractatione siquid probatione dignum visum fuerit, non ingenij, sed obedientiæ pretium habere exopto. Quinto Kalendas Aprilis anno Dñi. millesimo septingentesimo quinto.

Adrianus de Elossu,
Metropol. Eccles. Hispal.
Cærem. Magist.